N. 4188.

CURRENDA XVIII.

A. D. 1867.

N. pr. 135.

Encyclica SS. Papae Pii IX de precibus trium dierum publicis cum indulgentiis... pro tutela Patrimonii S. Petri, exaltationeque Ecclesiæ Catholicæ, præprimis in 2. Imperiis afflictissimæ.

Epistola encyclica praelaudata die 17. Oct. a. c. in variis plagulis publicis versa et certe a plurimis P. T. Presbyteris Dioeceseos jam lecta, ab Eminentissima Nuntiatura Apost. Viennensi, ad Nos sub 7. Nov. a. c. pertigit, estque tenoris sequentis:

„Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis universi Catholici orbis Gratiam et Communionem cum Apostolica Sede habentibus. Pius PP. IX. Venerabiles Fratres, Salutem et Apostolicam Benedictionem. Levate, Venerabiles Fratres, in circuitu oculos vestros, et videbitis, ac una Nobiscum vehementer dolebitis abominationcs pessimas, quibus nunc misera Italia praesertim funestatur. Nos quidem inscrutabilia humillime adoramus judicia Dei, cui placuit, Nos vitam agere hisce luctuosissimis temporibus, quibus nonnullorum hominum opera, et eorum potissimum, qui in infelicissima Italia rem publicam regunt ac moderantur, veneranda Dei mandata, sanctaeque Ecclesiae leges plane despiciuntur, et impietas impune caput altius extollit, ac triumphat. Ex quo omnes iniquitates, mala, et damna, quae cum summo animi Nostri moerore, conscipimus. Hinc multiplices illae hominum phalanges, qui ambulantes in impietatibus, militant sub satanae vexillo, in cujus fronte est scriptum „*Mendacium*“, quique rebellionis nomine appellati, ac ponentes os suum in cælum, Deum blasphamant, sacra omnia polluunt, contemnunt, et quibusque juribus divinis humanisque proculcatis, veluti rapaces lupi praedam anhelant, sanguinem effundunt, et animas perdunt suis gravissimis scandalis, et propriae malitiae lucrum injustissime quaerunt, et aliena violenter rapiunt, ac pusillum et pauperem contristant, miserarum viduarum et pupillorum numerum augent, ac donis acceptis, veniam impiis tribuunt, dum justo justitiam denegant, eumque spoliant, et corrupti corde pravas quasque cupiditates turpiter explere contendunt cum maximo ipsius civilis societatis damno.

Hoc perditorum hominum genere in presentia circumdati sumus, Venerabiles Fratres Qui quidem homines diabolico prorsus spiritu animati mendacii vexillum collocare volunt in hac ipsa alma urbe Nostra, ad Petri Cathedram, catholicae veritatis et unitatis centrum. Ac

Subalpini Gubernii Moderatores, qui hujusmodi homines coercere deberent, illos omni studio fovere, eisque arma, resque omnes suppeditare, et ad hanc urbem aditum munire non erubescunt. Sed omnes hi homines, licet in supremo civilis potestatis gradu et loco collocati, paveant; quandoquidem hac improba sane agendi ratione se novis obstringunt laqueis ecclesiasticarum poenarum et censurarum. Etsi vero in humilitate cordis Nostri divitem in misericordia Deum enixe orare et obsecrare non desistimus, ut hos omnes miserrimos homines ad salutarem poenitentiam, atque ad rectum justitiae, religionis, pietatis tramitem reducere dignetur; tamen tacere non possumus gravissima pericula, quibus in hac hora tenebrarum expositi sumus. Animo plane tranquillo quoscumque rerum eventus, licet nefariis fraudibus, calumniis, insidiis, mendaciis excitatos, expectamus, cum omnem Nostram spem et fiduciam collocemus in Deo salutari nostro, qui adjutor est Noster, et fortitudo in omnibus tribulationibus Nostris, quique in se sperantes confundi non patitur, et impiorum insidias subvertit, et peccatorum cervices confringit. Interim haud possumus, quin Vobis in primis, Venerabiles Fratres, et omnibus fidelibus curae vestrae commissis denuntiemus tristissimam conditionem et maxima, in quibus per Subalpini potissimum Gubernii operam nunc versamur, pericula. Quamvis enim fidissimi Nostri exercitus strenuitate ac devotione defensi simus, qui, rebus praeclarae gestis, prope heroicam prae se tulit virtutem; patet nihilominus, ipsum diu resistere nequire numero longe majori injustissimorum aggressorum. Et licet mediocri utamur consolatione ob filialem pietatem, qua Nos reliqui subditi Nostri a scelestis usurpatoribus ad paucos redacti, prosequuntur, vehementer tamen dolere cogimur, ipsos non posse non sentire gravissima pericula sibi ingruentia ab efferatis nefariorum hominum turmis, qui eos jugiter minis omnibus terrent, spoliant, et quoquo modo divexant.

At vero alia nunquam satis lugenda mala deplorare cogimur, Venerabiles Fratres. Ex Nostra praesertim Consistoriali Allocutione die 29 mensis Octobris superiori anno habita, ac deinde ex narratione documentis munita, et in lucem typis edita, optime cognovistis, quantis calamitatibus catholica Ecclesia ejusque filii in Russico Imperio ac Poloniae Regno miserandum in modum vexentur ac lacerentur. Namque catholici Sacrorum Antistites et ecclesiastici viri laicique fideles in exilium ejecti, in carcerem detrusi, ac modis omnibus divexati, propriisque bonis spoliati, ac severissimis poenis afflicti et oppressi, et Ecclesiae canones ac leges omnino proculcatae. Atque his minime contentum Russicum Gubernium pergit ex avito proposito Ecclesiae disciplinam violare, et unionis et communicationis illorum fidelium cum Nobis, et hac Sancta Sede vincula frangere, ac omnia moliri et conari, ut in illis dominiis catholicam religionem funditus evertere, et illos fideles a catholicae Ecclesiae sinu avellere, et ad funestissimum schisma pertrahere possit. Cum incredibili animi Nostri moerore Vobis significamus, duo nuper decreta ab illo Gubernio post ultimam commemoratam Nostram Allocutionem edita fuisse. Ac decreto die 22 proximi mensis Maji vulgato, per horrendum ausum Podlachiensis Dioecesis in Poloniae Regno una cum illo Canonicorum Collegio, Consistorio Generali, ac

Dioecesano Seminario penitus fuit extinenta, et ejusdem Dioecesis Episcopus, a suo grege divulsus, coactus a Dioecesis finibus continuo discedere. Quod decretum simile est illi die 3. Junii superiore item anno in lucem edito, de quo mentionem facere haud potuimus, cum illud ignoraremus. Hoc igitur Decreto idem Gubernium non dubitavit proprio arbitrio et auctoritate Cameneciensem Dioecesim de medio tollere, et illud Canonicorum Collegium, Consistorium, ac Seminarium disperdere, et proprium Antistitem ab illa Dioecesi violenter abripere.

Cum autem omnis via, atque ratio Nobis intercludatur, qua cum illis fidelibus communicare possimus, tum ne quisquam carceri, exilio, aliisque poenis exponeretur, coacti fuimus, in Nostras Ephemerides inserere Actum, quo legitimae illarum amplarum Dioecesium jurisdictionis exercitio, ac spiritualibus fidelium necessitatibus consulendum censuimus, ut illuc per artis typographicae opem notitia perveniret suscepti a Nobis consilii. Quisque vel facile intelligit, qua mente, et quo fine ejusmodi decreta a Russico Gubernio edantur, cum multorum Episcoporum absentiae Dioecesium quoque accedat suppressio.

Quod autem Nostram cumulat amaritudinem, Venerabiles Fratres, est aliud decretum ab eodem Gubernio die 22 superioris mensis Maji promulgatum, quo Petropoli fuit constitutum Collegium, vocatum ecclesiasticum catholicum romanum, cui praesidet Mohiloviensis Archiepiscopus. Scilicet: omnes petitiones, ad fidei etiam et ad conscientiae negotia pertinentes, quæ a Russici Imperii et Poloniae Regni Episcopis, Clero, Populoque fideli ad Nos, et ad hanc Apostolicam Sedem mittuntur, ad hoc Collegium, primum transmittendæ sunt, easque Collegium idem examinare debet, ac decernere, utrum petitiones Episcoporum potestatem praetergrediantur, et hoc in casu illas ad Nos perferendas curare. Postquam autem illuc Nostra pervenerit decisio, praedicti Collegii Praeses ad internarum relationum Ministrum decisionem ipsam mittere tenetur, qui expendat, num aliquid in illa reperiatur legibus Status et supremi Principis juribus contrarium; et quoties hoc non existat, illam pro suo arbitrio et voluntate exsequatur.

Videtis profecto, Venerabiles Fratres, quam vehementer reprobandum ac damnandum sit hujusmodi Decretum a laica et schismatica potestate latum, quo et divina catholicae Ecclesiae constitutio destruitur, et ecclesiastica disciplina subvertitur, et maxima supremae Nostrae Pontificiae, atque hujus Sanctae Sedis et Episcoporum potestati auctoritatique injuria infertur, et summi omnium fidelium Pastoris libertas impeditur, et fideles ad funestissimum impelluntur schisma; ac vel ipsum naturale jus violatur et conculcatur quoad negotia, quae fidem et conscientiam rescipiunt.

Ad haec, catholica Varsaviensis Academia deleta est; ac tristis Chelmensi, et Bettiensi Dioecesi Ruthenorum impendet ruina. Atque illud maxime dolendum, quod repertus sit quidam Presbyter Wojcichi, qui suspectae fidei, omnibus ecclesiasticis poenis censurisque despectis, terribilique Dei judicio posthabito, minime exhorruit ejusdem Dioecesis regimen et procurationem a civili illa potestate accipere, et varias jam edere ordinationes, quae dum ecclesiastice disciplinae adversantur, funestissimo schismati favent.

In tantis igitur Nostris et Ecclesiae calamitatibus et angustiis, cum non sit alius, qui pugnet pro Nobis, nisi Dominus Deus noster, Vos etiam atque etiam vehementer obtestamur, Venerabiles Fratres, ut pro singulari vestro rei catholicae amore et studio, et egregia in Nos pietate velitis ferventissimas vestras cum Nostris conjungere preces, et una cum universo vestro Clero, Populoque fideli Deum sine intermissione orare, et obsecrare, ut reminiscens miserationum suarum, quae a saeculo sunt, indignationem suam a Nobis avertat, et Ecclesiam suam sanctam, ac Nos a tantis malis eripiat, ejusdemque Ecclesiae filios, Nobis carissimo, in omnibus fere regionibus ac in Italia præsertim, et in Russico Imperio, ac Poloniæ Regno tot insidiis obnoxios, tot aerumnis afflictos omnipotenti sua virtute adjuvet, defendat, eosque in catholicae fidei ejusque salutaris doctrinae professione magis in dies stabiles servet, confirmet, roboret, et omnia impia inimicorum hominum consilia disperdat, illosque de iniquitatis barathro ad salutis viam revocet, et in semitam mandatorum suorum deducat.

Itaque volumus, ut in vestris Dioecesibus publicae pro vestro arbitrio preces per triduum intra sex menses, pro ultramarinis vero intra annum indicantur. Ut autem fideles ardentiore studio hisce publicis precibus adsint ac Deum exorent, omnibus et singulis utriusque sexus Christi-fidelibus, qui praedictis tribus diebus devote eisdem precibus adstiterint, ac pro praesentibus Ecclesiae necessitatibus ex Nostra mente Deum oraverint, et Sacramentali Confessione expiati ac sacra Commissione refecti fuerint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Iis autem fidelibus, qui corde saltem contriti in quolibet ex commemoratis diebus reliqua praemissa opera peregerint, septem annos totidemque quadragenas de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes etiam animabus Christi-fidelium, quae Deo in caritate conjunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse etiam in Domino indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Denique nihil certe Nobis gratius, quam ut hac etiam occasione libentissime utamur, ut iterum testemur et confirmemus praecipuam, qua Vos in Domino complectimur, benevolentiam. Cujus quoque certissimum pignus accipite Apostolicam Benedictionem, quam effuso cordis affectu Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, cunctisque Clericis, Laicisque fidelibus cujusque Vestrum vigilantiae concreditis peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 17. Octobris Anno 1867.

Pontificatus Nostri Anno Vicesimosecundo. PIUS PP. IX."

Fratres in Christo Dilectissimi! tenorem hujus Encyclicae cum attentione lustrantes, propriis quasi oculis conspexistis lugubrem Ecclesiae catholicae faciem in oris, Sedi Pontificiae vicinissimis; simulque intuiti estis deplorandum ejusdem statum in terris nobis rursus vicinis, quae ante a. 1772. cum aliis minoribus... vastum sub uno Rege catholico regnum constituebant catholicum, murum utique contra Schisma fortissimum, turribus necessariis munitum, qui nunc ad majorem partem armis Petropolis oppugnatur, expugnatur, turres demoliuntur et custodes vigiles in exilium rapiuntur.

In tantis igitur Ecclesiae catholicae angustiis constitutus, Pater Urbis et Orbis... e Sede Sua Vaticana*) vocem ad Nos dirigit, lacrymabilem, expetentem preces fervidas trium dierum in qualibet Ecclesia, publicas, intra 6 menses, sensim fundendas. Quo autem fideles ardentius ad has preces convolarent ac devotius Patrem coelestem exorarent, thesaurum indulgentiarum reserat omnibus — Concedit nimirum SS. Papa indulgentiam plenariam, qui precibus per 3 dies publicis devote interfuerint, ac pro praesentibus Ecclesiae necessitatibus ad mentem Ipsius oraverint, praetereaque Confessione sacramentali expiati ac sacra Communione refecti fuerint... indulgentiam autem 7 annorum et totidem quadragenarum **) largitur illis, qui praetermissis Sacramentis preces tantum per 3 dies ad eandem intentionem, corde saltem contrito fuderint. Indulgentias has animabus quoque fidelium applicare conceditur.

Nos vocem praelaudatam simulque thesaurum oblatum summa cum veneratione et filiali cum amore excipientes, properamus ad Ven. Clerum eo celerius, quum Romae haec devotio 19. 20. et 21. Oct. in omnibus Ecclesiis jam celebrata legatur, cum Ordinatione, ut:

1) terminus 6 mensium figatur a II. Dom. Adventus usque ad festum SS. Trinitatis, cujus solemnitate claudatur.

2) Illi 3 dies pro precibus publicis ex aliqua benevisa 26 hebdomadum, aut 3. Dominicae continuae assignentur pro omni Ecclesia sive parochiali, filiali aut claustrali.. et sub iisdem devotio ipsa, uti Romæ, instar devotionis 40 horarum, coram exposito Sacramento in Monstratorio per plures dietim horas instituatur, consistatque in Missa cantata, Concione ac Vesperis, intra quas populus fidelis hymnos congruentes &c. decantet, ac Ven. Clerus confessiones diligenter excipiat. Post Vesperas pro consequendis Sanctorum patrociniis in tantis calamitatibus... Litaniae de OO. SS. dein Orationes in libello auctoritate Nostra edito ***) contentae, postmodum Supplicationes consuetae persolvantur, et devotio 1mi et 2di diei finiatur decantatione: Przed tak wielkim. — &c. ac benedictione &c. Tertia vero die omittatur: Przed tak wielkim &c. ast pro hoc hymnus: Te deum laudamus canatur et demum ad Salvum fac consueta benedictio cum Sanctissimo elargiatur.

Perillustres Decani curam agent, ut devotio haec, quoniam terminus 6 mensium pro ea conceditur, non iisdem ferme diebus ast sensim in Decanatu celebretur, quatenus Concionatores et Confessarii a vicinis parochiis pro majori fidelium salute ac Ecclesiae incrementis plures invitari adhiberique possent.

---

*) Jam hostium invassioni proxima, quae tamen adjuvante Numine divino.... impedita est.

) **Indulgentia 7 ann. est condonatio *poenitentiae,* quae juxta praxim ecclesiae antiquam injungebatur, consistebatque in *jejunio 7 annorum,* quod nimirum per 7 annos feria II. IV et VI. in *pane et aqua* fiebat, coeteris vero diebus poenitens piscibus et fructibus arborum et leguminibus vesci et cerevisia uti poterat, ita tamen, ut a carnibus, caseo et vino abstinere cogeretur. &c. Excipiebantur tamen dies Dominici et festivi, totumque tempus paschale. **Quadragena, Carina,** etiam **Carena** erat jejunium in *pane et aqua* per 40 dies... ergo **indulgentia 7 quadragenarum** affert condonationem jejunii severissimi, olim assignati, per 7 quadragesimas durantis. Si e. g. tale jejunium per 3 quadragesimas imponebatur, prima erat ante natalem Domini, altera ante Pascha, per 40 dies... tertia per 13 dies ante festum S. Joannis Bapt. uti e decreto Concilii Salegustadiensis perspici potest. — *Haec ex* **Institutione practica Confessarii** *P. T.* **Franc. Zenner.** Ejusmodi igitur **indulgentiis** Ecclesia vi potestatis suae remittit poenas **7 annorum, et quadragenarum,** quas pro reatibus nostris juxta *Canones poenitentiales* subire debuissemus, ast haec deferre haud possumus. —

***) Exemplaria aliquot erga vilissimum pretium mox emittentur ad quamlibet Ecclesiam.

Iidem P. T. Decani post festum SS. Trinitatis de celebratione effectuque devotionis hujus relationem exhibebunt.

Hocce modo prodeunt tot dies precum publicarum, quibus omnis Xtifidelis ter interesse et durante 6 mensium spatio confessione sincera conscientiam suam emundare et emundatus preces fundere valebit, quas Angeli in phialis aureis ceu adoramenta Deo gratissima ad thronum Majestatis Ejus deferant. —

Commemoratur: si quis devotionem totam per 3 dies frequentasset, verum ad Sacramenta accedere non valuisset; postea gratiae sacramentalis particeps fieri studeat et eadem die preces easdem semel adhuc devote recitet. —

Qui vero devotioni ejusmodi interesse impedirentur, aliis congruis diebus Missae sacrificio ter adstantes et fervide cum Celebrante orantes, devotionem e libello postmodum devote peragant, vel artis legendi ignari, alias preces juxta consilium Pastoris sui aut Confessarii ad intentionem SS. Papae ter persolvant.

Qui plane templa visere prohiberentur, ad eandem intentionem ter instituant devotionem domi ante imaginem Crucifixi aut B. V. M. &c. aut ante figuram propinguam, talem, quam Confessarius aut Curatus respectivus designaverit.

3) Tenor Encyclicae ad captum populi exponatur atque ordo hic praevie e suggestu publicetur, populusque ad frequentandam ob tantas rationes devotionem et ad lucrandum tantum thesaurum energice excitetur. Denique

4) Nos mediatores inter Deum et populum singulari nunc incumbamus devotioni, nec non quotidie tribunali poenitentiae praeprimis tempore Adventus assideamus, postquam fideles ultima Dom. anni aut I. Dom. Adventus concionibus de extremo judicio terrefacti, proniores parant Domino in Eucharistia vias — medio poenitentiae, seu conversionis confessionisque.

Clamemus indesinenter cum Isaia: Rorate coeli desuper et nubes pluant justum; apperiatur terra et germinet Salvatorem Sedis Apostolicæ et Ecclesiæ catholicæ in his 2 Imperiis oppressae. Crescat in dies major Gloria in excelsis Deo et in terra affulgeat pax hominibus bonae voluntatis! Plorantes nos sacerdotes Ministri Domini flectamus iram Dei verbis Joëlis: „Parce Domine! parce populo Tuo, et ne des haereditatem Tuam in opprobrium, ut dominentur nationes“ (adversae ei) „Non nobis Domine, non nobis, sed nomini Tuo da gloriam...“ Ps. 113.

Dabamus in Patatio Episcopali, Tarnoviae die S. Stanislai Kostka Patroni regni 1867.

N. 4062.

Gratiae aguntur Ven. Decanatui ŁĄCENSI ab Excellentis. Nuntiatura Viennensi pro donatione syngraphae Pontificiae super 500 franc.

Has exprimit sequens Epistola:

„N. 1418. Illustrissime et Reverendissime Domine! Honori mihi duco certiorem faciendi Dominationem Vestram Illmam et Rmam una cum aestimatissimis Suis litteris die 4. labentis mensis sub 3816 datis, rite me accepisse syngrapham Pontificiam N. 72025 super 500 fres cum 40 sic dictis coupons, quam venerabilis Clerus Decanatus Łącensis Suae Sanctitati pientissime obtulit.

Gratum erit mihi officium curandi, ut hoc pium donum, data opportunitate, ad suam destinationem promoveatur.

Rogo Dominationem Vestram Illmam et Rmam, ut devotis oblatoribus pro hoc filialis eorum erga Smum Patrem caritatis argumento debitas gratiarum mearum actiones exprimere velit.

Lubenter hac occasione utor, ut Dominationi Vestrae Illmae et Rmae sensus peculiaris meae abservantiae et profundissimae Venerationis denuo profitear, quibuscum permaneo

Viennae die 9. Novembris 1867. Dominationis Vestrae Illmae et Rmae

Uti Frater addictissimus M. Archiep. Athen. Nuntius Apostolicus."

Pro notitia et imitatione ac in laudem largissimorum Donatorum una cum benedictione Nostra paterna. Tarnoviae die 14. Nov. 1867.

N. 3540.

Notitia de progressu Missionum in Africa centrali &c. &c.

Exc. C. R. Locumtenentia Leopol. alto Rescripto de 7 Sept. a. c. N. 56500 horsum 6 exemplaria Relationis a Consotiatione BMV. Viennensi Sibi communicata ... de statu videlicet atque operatione Missionum in Africa centrali, immiserat, simulque eas solicitudini Nostrae ac Vestrae, Fratres in Christo Dilecti! commendaverat.

Ex his 5. per 1. ad 5. Decanatus penes hanc Currendam emittimus cum obstrictione, ut Perillustres Decani illa Ven. Condecanalibus *via cursoria* erga restitutionem communicent, ac recepta ad Nos redire faciant, quatenus et aliis transmitti queant.

Lustratis lustrandis, Venerabiles Fratres condolebunt, quod Missio e. g. in Chartum, lento nonnisi pede procedere valeat, quia a. 1866 solummodo 19 individuis Sacr. baptismi contulerit et 3 paria copulaverit... ac praeterea varia infortunia pertulerit.

Non desistamus Charissimi! conferre ultro colligereque eleemosynam pro dilatando inter Afros illos sub densis adhuc tenebris sedentes... Regno Christi et *copiosa merces nostra erit in coelis.* Tarnoviae die 10. Oct. 1867.

N. 3909.

„Bonifacius-Blatt" XVI. Jahrgang... N. 10.

Hujus opusculi periodici Nrus 10. disserens de agilitate Congregationis S. Bonifacii... laudatissima, emittitur ad 9 Decanatus per 1 exemplar ⁒ pro notitia et calcari, qui lectus per resp. Condecanales redeat ad Archivum Decanale.

Tarnoviae die 7. November 1867.

N. 3826.

Broszurka Hr. Edwarda Łubieńskiego o Konkordacie, oraz inna niemiecka: „Weg mit dem Concordat"! poleca się.

I. W pośród groźnych manifestacyi w Radzie Państwa wiedeńskiéj, na rozmaitych

zjazdach, a nareszcie w nieprzyjaznéj dla kościoła dziennikarskiéj prasie przeciwko konkordatowi nieustannie objawianych, podniósł hr. Edward Łubieński śmiało głos w obronie téj umowy pomiędzy Ojcem św. a najjaśniejszym Monarchą naszym uroczyście zawartéj.

Broniąc tego układu, tem samem broni wolności znoszenia się Biskupów z Ojcem św. z Duchowieństwem swojém i z wiernymi, czuwania nad wychowaniem szkolném katolickiéj młodzieży; broni także świętości małżeńskich związków, a w nich podstawy społeczeństwa. Broszura ta, którą niniejszem gorąco polecamy, wyszła nakładem zacnego autora w czterech językach, i bardzo zaszczytnie wspomianą została na kongresie katolickim w Insbruku. Można ją nabyć po księgarniach za cenę 80 ct. W Xciu rozdziałach zapełniających 102 str. druku w 8vie traktuje autor następujące kwestye: **Austrya przed konkordatem, — Wypadki poprzedzające konkordat — Układy względem konkordatu i text tegoż, — Anneksa do konkordatu, — Zgromadzenie Biskupów po zawarciu konkordatu, — Co jest konkordat, czem nie jest, — Skutki polityczne konkordatu, — Rewizya konkordatu jest niewczesna,— Zniesienie konkordatu jest niemożliwe, — Głosowanie 20. lipca przeciw konkordatowi.** Oprócz jasnego przedstawienia istoty téj uroczystéj umowy, na którą jedni z uprzedzenia ku kościołowi, a drudzy z grubéj niewiadomosci uderzają, odznacza się ta broszura bardzo ciekawemi szczegółami historycznemi, a przedewszystkiem siłą i wdziękiem dowodzenia. Wielebne Duchowieństwo zaznajomiwszy się z tem dziełkiem, nietylko samo nabierze więcéj gorliwości do stawania w obronie zagrożonych praw kościoła od Boga mu nadanych, ale wpłynie także silniéj na oświecenie wiernych, obałamuconych przez dzienniki i przewrotne zdania ludzi złych lub niemających prawdziwego wyobrażenia o konkordacie i o zgubnych szkodach, któreby ze zniesieniem jego na najdroższe dobra społeczeństwa naszego, na szkołę, na rodzinę i na wolność kościoła spadły.

II. Niemiecka: **Eine Sturmpetition an den gesunden Menschenverstand** von einem schlichten Bürger. 2. wydanie. Wiedeń 1867. występuje przeciw wichrzycielom, którzy nie tylko wycieńczają skarb publiczny ale i kraj w zamęt wrzucają i spokojność odbierają i t. p. Cena nie wiadoma — księgarnie sprzedarzą się zatrudniają.

Tarnów 7. Listopada 1867.

E Consistorio Episcopali,

Josephus Alojsius,

Episcopus Tarnoviensis.

Tarnoviae die 20. Nov. 1867.

JOANNES FIGWER, Cancellarius.

Tarnoviæ. Impensis Consistorii, typis Anastasii Rusinowski, 1867.